



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatus

Dript, Laurentius a

Paderbornae, 1672

10. Nunquam aliquod praeceptum obligat, nisi sit determinatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

muli sunt, & quasi clavi in altum defixi. Nonne plus quam stimulus est, aut clavus sermo Dei efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti? sane duritiae cordis nostri exigebant hanc in conculationis instantiam, ut præceptum ad nostrorum cordium interiora transiret, sicut duro stipiti clavus crebra percussione infigitur, donec interius adigatur.

Quod si fundamentum allatæ positionis inquiras, respondebit novus Probabilista.

PROPOSITIO X.

Nunquam aliquid Præceptum obligat, nisi sit determinatum.

17. **C**ujus assertionis ratio est, quia cum non possit uti indeterminatum exire in executione, non censetur practicè esse completum. Insignis certè ratio, quæ tantum abest, ut evincat allatam propositionem, ut potius omnia positiva Dei Præcepta; Scilicet Dominum Deum tuum adorabis; diliges Dominum Deum tuum; honora Patrem & Matrem tuam; evertat, in illis enim omnibus, cum non sint determinata, eo quod à

E 4

Deo

Deo nullum se adorandi, & diligendi, vel pre-
rentes honorandi tempus assignetur: liber
quis erit ab eorum obligatione, nisi in quan-
tum indirecte, & ratione alterius aliqua ob-
ligatio oriatur: unde immerito queritur
contra populum suum apud Malachiam cap.
i. Deus, Filius honorat Patrem, & servus Di-
minum suum, si ergo Pater ego sum, ubi est ho-
nor meus? & si Dominus ego sum, ubi est ho-
nor meus? certum est longe majori obliga-
**tione teneri erga Deum hominem, quam e-
ga Parentem filium, major enim obligatio**
est creature ad Creatorem, Plasmatis ad
Plasmatorem, Redempti ad Redemptorem,
quam geniti ad Genitorem, & quidem talis
Genitorem, qui illi etiam ut Genitor
subordinatus est: qui dicit, Patrem nolite ve-
bis vocare super terram: Vnus est enim Pa-
ter vester, qui in caelis est: ad quae verba alludent
quidam recens commentator Franciscus L-
cas in cap. 23. Matth. Is Pater inquit, qui in cae-
lis est, nempe Deus est Author totius vita vestra,
ille corpus vobis firmavit, ille animam vitam
principium infudit, ille vos pascit, fovet, edu-
catur, provehit, servat. Ille pars hereditatis vo-
fre

stræ, & calicis vestri: de illius denique cura, providentia penderis toti, à quo omnis paternitas nominatur in cœlo, & in terra. *Huic si comparentur mortales, patres dici non mereantur: quorum providentia in educandis, servandis, provecthendis, & locupletandis filijs admodum incerta est, in generandis autem nihil nisi semen administrat formando corpori, & hoc ipsum Dei munere acceptum.* Si proinde teneantur filij Parentibus, ut admittunt adversarij, signa benevolentiae ostendere, non obstante, quod præceptum honorandi parentes sit indeterminatum, nec ullum illi tempus præfigatur & determinetur à Deo, quanto magis tenebitur homo amoris vicem Deo rependere, qui perfectiori modo pater est.

18. Mirum etiam oblivisci antagonistas illius principij primi legis naturalis: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* An non ipsi, si cui tanta beneficia impendissent, quanta homini Deus, nec ullum benevolentiae vel gratitudinis signum ab eodem recepissent, illum impietatis & ingratitudinis arguerent, & bestiarum quam homini similiorem reputarent? Cur ergo, quod sibi ab alijs fieri no-

E 5 lunt

lunt ipsi alijs faciendum suadent, & libris impressis docent? Vae qui condunt leges iniquas, vae qui dicunt malum bonum & bonum malum, ponentes lucem tenebras & tenebras lucem. hinc censet Socrates teste Pet. Greg. lib. 10. de Repub. cap. 5. num. 18. pejus esse in legibus constitutis vel interpretandis errare, quam hominem interficere. Ejusmodi namque error multos per multa saecula interficit animos simul & corpora. Et Isidorus Pelusiota lib. 4. Epistol. 84. nullum est quidem inquit injuste agere, sed injustam sententiam ferre, id longe est deterius. Alterum enim spem auxiliij relinquit ei, qui in iuria affectus est, alterum vero hanc ipsam speciem aufert & injustum factum corroborat & tandem Orisius Epist. ad Augustinum: Dilaceratis sumus inquit gravius a pravis Doctoribus quam a cruentissimis hostibus.

Ex ijsdem Fundamentis & Principijs apositis conformiter Author, qui supra, afferuit non teneri hominem rotâ suâ vitâ elicere actum charitatis, etiam afferit.